

Anthicus blechroides Baudi nov. spec.

Niger, nitidulus, parce albido-villosus, capite subquadrato thoraceque postice fortiter constricto et transverse sulcato fere laevibus, hujus lobo postico elevato, retrorsum producto; elytris in mare subovatis, convexis, apice spina armatis, in foemina oblongo subquadratis, planis, postice late truncatis; antennis basi, tibiis tarsisque testaceis.

Foemina coarcticolli statura prope aequalis, mas minor, niger, nitidus, capite thoraceque parum, elytra modice dense villositate longiore albida obtecta. Caput maris, etiam pro statura, parvum, foeminae validius, lateribus cum oculis parum prominulis nec non basi subrectum, angulis posticis attamen sat rotundatis, in illo haud perspicue, in hac subtillime perparce punctulatum; antennae fere ut in coarcticolli, at aliquantulum longiores, piceae, articulis 2—7 plus minusve testaceis; oris partes nigrae. Thorax capitinis latitudine eaque haud longior, ante basin fortiter constrictus et transversim sulcatus, ad sulculi latera paulo densius subtillimeque albido-villosus, lobo antico fere globoso, latitudine perparum breviore, postico transverso, elevatulo, retrorsum media magis quam latera producto, margine basali utrinque subsinuato; nitidissimus, haud perspicue punctatus, plerumque basin versus nigro-piceus. Scutellum minutissimum. Elytra basi emarginatim truncata, humeris in mare paulo latius quam in foemina rotundatis, in illo obovata, convexiuscula, lateribus modice, plus minusve, apice fortius rotundata, dorso antice subaequalia, ad angulum suturalem impressa, inde dehiscentia, spinula apicali minuta; in foemina longiora, planiuscula, lateribus usque prope apicem rectis, vix apice tantisper latiora, subtruncata, utpote fere ac in Carabitorum genere *Blechro* efformata: in utroque sexu subtiliter, parce obsoleteque punctulata. Corpus infra nitidum, cum femoribus nigrum vel nigro-piceum, tibiis tarsisque plus minusve pallide testaceis; abdomen, in foemina praesertim densius pubescens.

Thorax fere ut in praecedente constrictus, at a basi minus remote, sulculo transverso minus lato, lobo antico pro latitudine minus brevi, postico angustiore; eodem retrorsum producto, margine ejus basali bisinuato inter congeneres insignis. *Anth. blechroide*, *A. sulcithorax* Desbr. discedit statura majore, thorace latiore, basi attenuato, non autem constricto, margine postico late, aequaliter marginato, subarcuatim truncato, antennis validioribus, elytris in utroque sexu similibus et spinula apicali armatis.

Ad Tiberiam in Palaestina D. Abeille.

Flaminio Baudi a Selve.

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Deutsche Entomologische Zeitschrift \(Berliner Entomologische Zeitschrift und Deutsche Entomologische Zeitschrift in Vereinigung\)](#)

Jahr/Year: 1883

Band/Volume: [27_1883](#)

Autor(en)/Author(s): Selve Flaminio Baudi a

Artikel/Article: [Anthicus blechroides Baudi nov. spec. 150](#)